



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XXII. De eo, si quis liber aliquo crimine infamatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

trouerſiam, epiſcopo * regente ſine perſonarum ac-
ceptione finiatur, & laicus * præiuramento, ſi ne-
ceſſe ſit, * conſtringatur: præſbyter vero vice * præ-
iuramenti, per ſanctam conſecrationem interro-
getur; quia ſacerdotes ex leui cauſa iurare non de-
bent. Manus enim, per quam corpus & ſanguis
Chriſti conficitur, iuramento polluetur? abſit,
cum Dominus in euangelio diſcipulis ſuis, quo-
rum vicem nos indigni in ſancta gerimus eccleſia,
dicat: *Nolite omnino iurare, ſit autem ſermo veſter, Eſt,
eſt, Non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo
eſt.* Non dixit, *Quod amplius eſt, malum eſt, ſed
a malo,* id eſt, a malo homine, de cuius increduli-
tate cogimur iurare. Vt enim in quadam homilia
B. Bedæ præſbyteri legimus, ſi forte nos incautius
iuraſſe contigerit, quod ſcilicet obſeruatum peio-
rem vergat in exitum, libere illud mutandum no-
uerimus ſalubriori conſilio.

Matth. 5.

XXII.

Si quis fidelis libertate notabilis aliquo crimine
aut infamia deputatur, vtatur iure, iuramento ſe ex-
cuſare. Si vero tanto talique crimine publicatur, vt
criminofus a populo ſuſpicetur, & propterea ſuper-
iuret, aut confiteatur & pœniteat, aut epiſcopo
vel ſuo miſſo diſcutiente, per ignem candenti ferro
caute examinetur. Deus omnipotēs, cum omnia nu-
da & aperta ſint oculis eius, vt in epiſtola Euarifti pa-
pæ ſcriptum legimus, quo nos a dubiis & incogni-
tis ſententiam proferre compeſceret, mala Sodo-
mæ noluit audita iudicare, priuſquam manifeſte
agnosceret quæ dicebantur; vnde ipſe ait: *Deſcen-*

Gen. 18.

ANNO
CHRISTI
895.
* perci-
pente
per iu-
ramen-
tum,
* ſe ex-
purget
iura-
menti,

ANNO
CHRISTI
895.

dam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites simus, aut temere indiligenterque indiffusa quæque quo modo iudicemus: sed exemplo Domini descendamus, videamus, & iusto examine crimosos diligenter perscrutemur, sicut ipse Sodomam: vt videamus, vtrum clamorem populi compleuerint, necne. Nam mala audita nullum moueant, sed ante audita diligenter inquirat.

X XIII.

Si quis sacro velamine consecratam in coniugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscuerit, vt in constitutis Gelasii papæ capite vigesimo legitur: Protinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi; si tamen pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur. In Calchedonensi Concilio, capite decimosexto: Hoc perpetrâtes excommunicentur: confitentibus, auctoritate episcopi, misericordia largiatur. In epistola papæ Siricii capite sexto: Velatæ Deo consecratæ, si abiecto proposito sanctitatis, clanculum sacrilega se contagione miscuerint, vel de illicitis complexibus publice & libere filios procreauerint, has impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu & ecclesiarum conuentibus eliminandas esse, iudicatum est, quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Vnde verbo Domini, & canonica auctoritate in hac sancta Synodo præ-

Concil. Tom. 24.

Nnnn ij